

## ἀρκτικός / arcticus

ΑΡΤΗΘΝ. GL VI 74. 8 sqq. heroici versus hexametri cola seu commata alia sunt, ut Graeci dicunt, ἀρκτικά, alia τελικά, alia κοινά, e quis alia initiis, alia clausulis versuum conexas respondent, quas portiunculas, si necesse sit, ausim dicere initiales et finales seu novissimales, communes autem, quae et initio et fini sociatae congruunt. igitur tetrametrus versus herous initialis erit talis:

Odrysium Martem cane barbite,

finalis seu novissimalis:

Odryσιο lyra carmine cantat,

communis autem: (Hor. *carm.* I 28. 2)

mensorem cohibent Archyta;

trimetrus initialis: (Hor. *carm.* I 3. 1)

sic te diva potens Cypri,

quod metrum glyconium octasyllabum dicitur; finalis autem: (Hor. *carm.* I 5. 3)  
grato Pyrrha sub antro,

quod pherecraton heptasyllabon appellatur. dimetrus herous initialis erit:

arma sonantia,

novissimalis, qui pentasyllabos dicitur: (Hor. *carm.* I 2. 4)

terrui urbem.

nam tam in prima quam postrema parte posita haec cola adsumptis reliquis quattuor pedibus faciunt heroum hexametrum. quae portiuncolae etiam ex iambico versu per huius modi cola decisae pleraque ex se pari syllabarum ratione metrorum genera procreabunt.

ΔΙΟΜ. GL I 519. 28 sqq. quarta ode dicolos metrum ithyphallicum habet, et constat prior versus ex tetrametro heroo arctico et ex tribus trochaeis sic, dactylus, dactylus, spondeus, dactylus, trochaei tres sic: (Hor. *carm.* I 4. 1)

solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni;

alter vero ex penthemimere iambico et tribus trochaeis sic: (Hor. *carm.* I 4. 2)

trahuntque siccas machinae carinas.

ΔΙΟΜ. GL I 520. 15 sqq. septima ode dicolos metrum archilochium habet, quod constat hexametro heroico et tetrametro item heroico arctico. <et scanditur> unus sic, spondeus, dactylus, spondeus, dactylus, dactylus, spondeus: (Hor. *carm.* I 7. 1)

laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen;

alii vero sic, dactylus, dactylus, dactylus, spondeus: (Hor. *carm.* I 7. 2)

aut Ephesum bimariseve Corinthi.

[B.M.]